





9.  
QVOD DEUS BENE VERTAT! 1712, 9 30 24  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA.

DE  
**JUDICE VICES PARTIUM ET ADVOCATI SUPPLENTE,**

QUAM  
FAVENTE SACRO SANCTA TRINITATE  
RECTORE ERFFORDIENSIS ACADEMIÆ  
MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,**  
S. R. I. COMITE de BOINEBURG,

SACRE CÆSARÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORIEPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQUE ERFFURTENSIS  
PRO-PRINCIPE,

INDULTU CELEBERRIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,  
SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, PRÆNOBILIS AC CONSULTISSIMI

DN. JOH. PHILIPP. Streit / JCTI,

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIARII, JURIDICÆ FACULTATIS ASSESSOR. PRIMAR AC p. t. DECANI, NEC NON UNIVERSITATIS PRO-RECTORIS MAGNIFICI,

**PRO LICENTIA**

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA  
RITE CAPESSENDI

PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ

D. XVI. JULII, MDCCXII.

HORIS LOCOQUE CONSUETO

SUBMITTET

**GUSTAVUS CLEMEN, SCHMALKALDENS.**

IBID. ADVOCAT. ORDINAR.

Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

30

DISCRETI IN LEGIBUS IURIDICI  
IUDICE VICI PAR  
TUM ET AVVOCATI  
SUPPLEMENT

DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC

FRANCO WILHELMO  
ZK 1 COMITE DE BOINBERG

DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC

DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC

DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC

DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC

DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC  
DE IURIS PRAECIPUIS AC





DISSERTATIONIS INAUGURALIS JURIDICÆ  
 DE  
 JUDICE VICES PARTIUM VEL  
 ADVOCATI SUPPLENTE

§. I.



D Substantiandum, ut Dd. lo-  
 qui amant, judicium, tres  
 principales requiri personas,  
*Judicem scil. Actorem & Reum,*  
 apud omnes in Confesso est,  
 adeo, ut, si in foris unus ex  
 his deficiat, Judicium nullita-  
 te aperta laborare dicatur.  
 Dn. Casp. Zigler *in Dicast.*

*Concl. XII. §. 12.* idque etiamsi duæ personæ uni com-  
 mittantur. *Id. Ibid.* Sicut enim secundum doctri-  
 nam Pauli *in L. 9. ff. de Pact.* difficile admodum,  
 quid? quod ferè impossibile est: Unum hominem  
 duorum sustinere vicem, in tantum, ut hoc abo-

A 2

mina-

minabilis exempli esse dicat Alciatus *L. V. Resp. 68. n. 11.* Ita ne ex Conventione quidem Scacc. *de sent. & Re Jud. gl. 4. qv. 8. n. 5.* vel consuetudine Mev. *P. 5. d. 322. n. 12.* quis simul Judicis & Rei, vel Rei & Actoris vices gerere, neque in causâ, in quâ quis Advocatus fuit, judex esse potest, per *L. 17. ff. de Jurisdic. Struv. S. J. C. Exerc. 4. th. 56. inf.* Hinc ad hancce judiciorum confusionem evitandam in omnibus judiciis, quæ vocant, duplicibus, Communi dividundo, familiæ herciscundæ, & finium regundorum, quo quoque interdicta uti possidetis & utrubi referri possunt, singulariter cautum est, ut primus provocans; in casu autem, quo utrique simul provocant, is pro actore habendus sit, quem fors determinat. *L. in tribus 13. & 14. ff. de Judic.*

## §. II.

De necessitate porro Judicii, non absolutâ quidem, hypotheticâ tamen, ad illud scil. melius ordinandum, sunt *Advocati*, aliæve minus principales personæ, ut Procuratores, nuncii, scribæ &c. De hisce autem ut simus prolixiores, Instituti nostri vix admittit ratio. Sed de *Advocatis* juxta effectum Anastasianum in *L. 4. pr. C. de Advoc. div. Judicum* certo certius est: Ipsorum munus summè laudabile, vitæque hominum maximè necessarium esse. Hoc si quis negat, utrosque Imperatores Leonem & Anthemium mendacii arguit, qui

qui Advocatorum laudes, gravissimum propter, quod gerunt, officium in albo lapillo notandâ *L. 14. C. de Advoc. divers. Judiciorum* ad fidera quasi tollunt: Advocati, inquit, qui dirigunt ambigua causarum fata, suæque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, ifatigata reparant, non minus provident humano generi, quam si præliis atque vulneribus patriam parentesque salvarent. Nec enim solos nostro Imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, sed etiam Advocatos. Militant namque Causarum Patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & posteros defendunt. Neque obstat: famosa Imperatoris Friderici III. & Statuum Imperii sanctio in Comitibus Anno 1447. promulgata. Hanc enim Constitutionem in nullam unquam venisse observantiam, testantur *Limnæus de Jur. Publ. L. 8. Cap. 4. & L. 4. Cap. 8.* *Conring. de Origin. Jur. German. Cap. 32. §. habet Goldastus &c.*

§. III.

Utut autem ex antea dictis iudex non partium vel Advocati, nec Advocatus Judicis vices ad conservandum judiciorum ordinem regulariter supplere, sed quilibet proprio officio eo magis fungi debeat, quò cujuslibet functio ab alterâ est distinctissima; sicut de *Judicis* officio instar Compendii videri potest *L. 14. pr. C. de Judic. Partes vero Vigi-*  
A 3
lan-

lantiam & diligentiam ante omnia sibi commenda-  
tam habeant, scientes: Vigilantibus jura scripta es-  
se *L. 24. in fin. L. 6. §. 7. ff. qua in fraud. Credit.* nec  
negligentibus sub veniri. *L. 16. ff. ex quib. caus. ma-  
jor. L. 21. pr. ff. de pecul. Advocatus* denique, ut pau-  
cis complectar omnia, in Consilio *Cautus*, in Patro-  
cinio *fidelis*, & in Judicio sit *justus*. *Hiltrop. in Proc.*  
*p. 1. tit. 9. n. 18.* Quoniam tamen omnium memi-  
nisse & in nullo penitus errare, divinitatis magis  
est, quam humanitatis, *L. 1. §. 14. C. de Conser. dignit.*  
&, ut bonus Homerus, ita exercitatisimus non ra-  
ro dormitat Advocatus; interdum etiam multi in  
foris versentur fratres Ignorantiæ, qui, secundum  
illud: in Institutis, brutis, in Novellis verò, Afellis  
comparantur, ex quò scèpissimè non negligenda  
negliguntur, allegandave omittuntur, præterea et-  
iam Legum & Juris allegatio, quamvis ad Judicem  
magis ac clarius informandum ab Advocatis aut  
partibus fieri soleat, *Dn. Struv. Exerc. VII. th. 5.* ta-  
men ad Judicis officium potius pertinet, qui *LL.*  
& Juri consonam ferre debet sententiam *L. ult. in*  
*f. C. de Appellat.*; hinc quam maximè partes erunt  
*Judicis: Advocatorum vel Partium* hic supplere vices,  
eaque, quæ ex quocunque demum capite sunt omis-  
sa, addere, atque deinde causam ventilatam senten-  
tia justà finire.

§. IV.

Sicut jam dictum Judicis officium suppletorium  
ex-



expressis verbis in Rescripto Imperator. *Legis un. C. ut quæ desunt Advocat. partium iudex supplicat, est fundatum.* Non enim dubitandum est, inquit Imp. Judicem, si quid à litigatoribus, vel ab his, qui negotiis assistunt, minus fuerit dictum, id supplere & proferre, quod sciat Legibus & Juri publico convenire. Ita hocce præsentis in differtatione paulo specialius & quidem ita considerabo, ut primò in genere, quousque fines dicti officii iudicis in supplendo vices partium vel Advocati sese extendant, demonstrarem, deinde verò specialibus exemplis ex Jure & Praxi passim decerpis rem illustrem.

§. V.

Ante omnia itaque ad Interesse & Jura Majestatica Principis spectantia, si quæ pars attentet, Advocatus vero vel Adversarius illi non contradicat, iudex quam maximè supplere & potest & debet. Hinc recte Senatus contra Interesse Principis Accisarum Exactionem moliens, parte gravante etiam si nihil monente, tamen prohibebatur apud Mevium *p. 7. dec. 157.* Idemque de omnibus reliquis, quæ utilitatis publicæ gratia constituta sunt, obtinet. Sic, quis dubitaret, Judicem injustam Appellationem *L. 1. C. de Appell.* cum cæteris omnibus litem protelantibus, eo quod publicè interfit: litium semel esse finem, *L. 1. ff. de Usucap.* parte vel Advocato non petente, ex officio rejicere posse & debere? *Carpzov. P. 1. C. 11. def. 17.* & quis nescit: Judi-

Judicem ab actore vel Reo non rogatum, antequam partibus viam processus aperiat, terminum amicabilem compositionis, einen Termin zur Güte/ præfigere debere, idque non solum Jure Civili & Canonico, in §. 1. circ. fin. Inst. de satisd. tut. c. 1. X. de mutuis petit. c. f. X. de transact. sed quoque per Rec. Imperii novissimum, de año 1654. §. zventens ic. laudabiliter sancitum, quod sicut generaliter in omnibus causis, præter transactionem respicientibus, quales sunt matrimoniales. c. f. X de transact. obtinet; Ita præcipue in causis odiosis, modici præjudicii, piis aut aliis scandalum secum trahentibus, imo in causis Injuriarum hoc adeo procedit, ut judex quandoque ad transigendum partes cogat, si in fervore & rancore ab initio ita sint quasi obcæcatæ, ut judicem acceptabiles compositionis terminos proponentem & videre & audire perfrictâ fronte recusent. Vid. Dn. Mev. p. 1. dec. 224. & 225. Aliàs quidem, cum pax sit bonum persuasibile, non compulsibile, judex ad transigendum, nisi in certis casibus, de quibus Gail. de Pac. Publ. L. 2. Cap. 18. n. 9. & seqq. partes neutiquam cogi, Carpz. P. 1. C. 1. def. 11. ac si compositio amicabilem à judice plane non fuit tentata, processus eo minus nullus dici potest, Carpzov. C. 1. def. 10. quo certius est, transactionem amicabilem separatum ab ipsâ lite constituere negotium, atque sic ad ipsius processus substantiam neutiquam pertinere, sed saltem extrinsecus accedere.

§. VI.

Non porro obstante: Citationem regulariter non fieri, nisi parte petente, judicemve implorante, Berlich. *p. 1. Concl. 10. n. 2.* id quod *arg. l. 4. §. 8. ff. de damn. infect.* probat Lauterb. *in Compend. tit. de in Jus Voc. p. m. 32.* adeo, ut, sine partis petito extracta, citatum non arctet, Hiltrop. *Proc. p. 2 tit. 1. rubr. de requis. citat. n. 16.* ex ratione: quod Citatio fit facti, facta autem judex supplere non possit, de quo tamen pluribus infra; Non quoque obstante: Statutum simpliciter dicens: Judicem debere citare, esse juxta Jus Commune hâc sub conditione intelligendum: si pars petat. Gail. *L. 1. Obs. 50. n. 7. & 8.* Nihilominus tamen Judex parte læsâ non petente, citat vel verbaliter vel realiter pro re nata delinquentem, & inquirit propter Interesse publicum in facinora. Reipublicæ enim interest delicta manifestari *L. 18. pr. ff. de Injur.* & non impunita relinqui. *L. Item si 9. ff. ad L. Aquil.* Idque non solum in publicis, sed privatis quoque delictis pro interesse publico obtinet. Hinc recte Reum, tertium injuriis afficientem, hâc licet non accusante, â Judice fuisse punitum in casu, quo injuria erat notoria, deprehendimus penes Carpzov. *P. 4. C. 42. def. 4.*

§. VII.

Quando quoque de consummando matrimonio

B

nio

nio inter duos desponsatos quæstio est, iudex partium vices in ipsis citandis supplet, si forsan neque sponsus neque sponsa Citationes urgeant. Cum Res mali exempli sit, absque causis remorari voti consummationem, ita docente Mevio *P. 6. dec. 61.* Idem favor publicus in causa est, quod iudex in casu: ubi metus est armorum, vel dissipationis in casu dubiæ possessionis retinendæ vel acquirendæ, partibus non petentibus illos citet, ad demonstranda possessionis jura, Mev. *P. 7. d. 147.* Mynf. 2. *Obs. 96.* & ne possessionem apprehendant, inhibeat, vel pro re natâ, rem sequestro committat. Gail. *L. 1. Obs. 5. n. 2.* Vid. de sequestratione hereditatis Mev. *P. 2. dec. 247.* Huc quoque spectat, quod in puncto diffidationis ob publicam securitatem iudex ex officio, & parte etiam non petente cautionem de Non offendendo minitanti injungere valeat, juxta Carpzovium, qui doctrinam Julii Clari *L. 5. sentent. qv. 47. n. 3.* secutus in *P. 4. Const. 15. def. 6.* vid. tamen eundem sub *n. 4. c. 1.*

§. VIII.

In concedenda Restitutione in integrum contra sententiam, iudex partium vel Advocati, illam non petentium, vices regulariter non supplet, Tusch. *Lit. 1. Concl. 397. n. 43.* sed imploratione officii judicis, & quidem à quo Mev. *P. 2. dec. 152.* opus est. Struv. *Ex. 8. th. 4. & seqq.* favor tamen publicus, qui pro minoribus, pupillis, ecclesiis,

fiis, Orphanotrophis, & similibus militat, hoc operatur, ut iudex, parte etiam non petente, adversarium citare, ac minorem vel ecclesiam in integrum restituere debeat. Gothofred. ad *L. 4. §. 8 ff. de damn. infect.* Dn Zaunschliff. *de off. Jud. suppl. P. 2. Concl. 15. §. 3.* Imò ex eodem fundamento recte deducit Tusch. *d. conc. 397. n. 20. §. 50.* Iudicem omnes exceptiones *publicam utilitatem* respicientes à partibus vel Advocatis omittas supplere posse.

## §. IX.

Sicut jam iudicis officium in supplendo vicis partium vel Advocati ad ea, quæ *publico* profunt, pertinet. Ita quoque illa, parte non petente, supplere debet, quæ ad substantiam & Validitatem Iudicii, nec non ad justam & ordinationi Processus convenientem viam procedendi spectant. Mev. *P. 5. dec. 402 p. 1. dec. 29. n. 9, p. 3. dec. 351. §. 103. n. 8.* Vant. *de Nullit. in præs. n. 24.* Hinc notorie in habilis ad agendum, v. g. excommunicatus, bannitus, proscriptus &c. etiamsi ab adversario nihil excipiatur, à limine iudicii ad evitandam nullitatem recte à Iudice rejicitur, ipsique Jus denegatur. *Cap. intelleximus X. de Judic.* Cardin Tusch. *Lit. 1. Concl. 397. n. 10, 11, 12.* frustra dissentiente Menochio *de Præsunt. L. 2. Cap. 46. n. 7.* Idem in pupillo sine tutore, minore sine Curatore & filio sine patris consensu agere volentibus, ne iudicium

reddatur elusorium & nullum, obtinet. Et hoc est, quod iudex, etiam parte non petente, Procuratorem sine mandato pro alio comparentem repellat. *Mev. p. 3. dec. 23. n. 6. Tusch. L. 1. Concl. 397. n. 40.* Hujus enim admissio indubitata operaretur nullitatem. *Mev. p. 2. dec. 126. n. 1.* iudicique dedecus inureret, *Sichard. ad L. 24. C. de Procur. n. 8.* & quamvis, si pars expresse in ejusmodi Procuratorem illegitimum consentiat, iudicium subsistere, nec talem à iudice ex officio repelli posse, tradant *Bartol. in L. fin. ff. de Procurator. Mev. P. 3. dec. 23. n. 5.* Vix tamen est, ut idem statuamus, de casu: ubi pars contra ejusmodi falsum Procuratorem saltem nihil excipit, & tacet. Ex ejusmodi enim taciturnitate in negotio singulariter præjudiciali, ejusmodi consensus nequiquam præsumitur. *Vid. Dd. ad L. qui tacet 142. ff. de R. I. Frustra dissent. Menoch. L. 2. præf. 46. n. 2.* Cæteroquin eorum doctrinam deridendam esse rectissime docuit *Dn. Zaunschliff. d. tr. P. 2. Concl. 4. §. 2.* qui statuunt: *Judicem ex officio, non petente actore, non supplere Exceptionem illegitimi Procuratoris, attamen Exceptionem nullitatis sententiæ; Quasi vero iudici non incumberet, præstaretve: intacta jura ab initio servare partibus, quam post vulneratam causam remedium quærere.* *Mev. P. 8. dec. 202. n. 4.*

§. X.

Cum autem contra ordinem Judiciorum substantialem gravius peccari non possit, quam omnia personarum legitimatione, ex quâ omnia inania, aut sub periculo sunt. Felin. *in Cap. inter X. de re judic. n. 4.* hinc ea, quæ de procuratore illegitimato diximus, de cæteris quoque personis alieno nomine in judicio versantibus affirmanda sunt. Hinc recte Mevius, Curatorem litis, quem cum Procuratore comparat Faber *in Cod. L. 3. t. 1. d. 29. n. 4.* ad Curatorium exhibendum, parte licet non urgente, obligatum esse, decidit *p. 2. dec. 126.* Idem in cessionariis obtinet, qui, nisi ex actis de translatione sive cessione constet, à Judice ex officio juberi potest, ad legitimationem per productionem *des Cession-Scheins* ad acta procurandam. Hincque Exceptionem Legitimationis ad causam supplet. Id. *p. 5. dec. 13.* Pariratione ad nullitates processus evitandas Judex Advocati vel partis vice fungitur, in removendo, adversario licet non petente, Procuratore inhabili, qualis est, impubes, minor, furiosus, excommunicatus, *arg. cap. prudentiam §. sexta X. de offic. deleg. Cap. intelleximus X. de Judic. Fœmina, L. 4. § 18. C. de Procur. frustra dissentiente Gothofredo ad d. l. sublit. f.* exceptionem Procuratoriam, fœminæ opponendam, post litem contestatam non admittente. Idem Judex ex eadem ratione, ne scil. iudicium reddatur

tur nullum, rejicit militem, *L. 8. §. 2. L. 54 ff. de Procurator. & in causis criminalibus, quemcumque Procuratorem, Vid. L. pen. §. 1. ff. de publ. jud.*

§. XI.

Eadem forma Processus à Judice ad amussim observanda operatur, ut multo sæpius partium vel Advocati vices in rejiciendo Libello supplere debeat. Si enim Articulus exhibeatur, qualis in Rec. J. nov. de Anno 1674. §. diesen necht nun beym dritten &c. est prohibitus, curiæque stylus illum non admittat, vel libellus sit in se ineptus, vel actiones incompatibiles cumulatae, v.g. possessorium retinendæ cum vindicatione, vel plures quam tres uni Libello inclusæ, judex, parte adversâ vel ejus Advocato etiam nihil excipiente, ejusmodi libellum rejicere potest & debet. Sed si generalis, in certus vel obscurus est, rectius putamus, Judicem, quia ex inde multa in processum defluunt vitia, quidem posse, sed non præcise teneri eum rejicere, eo quod secundum doctrinam Gailii *L. 2. Obs. 45. n. 16.* ejusmodi libellus valeat, si à parte nihil excipitur. Hoc tamen certum: libellum injuriarum criminaliter præsertim intentatum, cui annus & mensis injuriæ illatæ non insertus, Judicem, parte etiam non petente, ex officio rejicere & posse & debere. Id. Gail. *L. 1. Obs. 64.* Vid. Dd. *ad L. Libellorum 3. ff. de Accusat.*

§. XII.



§. XII.

Circa litis Contestationem Judicis officium multo sæpius se extendit, ad ea, quæ partibus incumbunt. Reo enim litem vel plane non, vel nimis obscure & generaliter contestante, actori incumbit: ejus accusare contumaciam, & vel plane non factam, vel meliorem urgere litis Contestationem. Hoc si negligit, judicis est, ut ejusmodi insufficientem litis Contestationem rejiciat, accuratioremve, cum condemnatione in expensas termini, ipsi injungat. Nicol. in Proc. p. 1. c. 37. n. 23. hocque regulariter in omni causâ obtinet, in tantum, ut nec partium conventionem, nec judicis autoritate omitti possit, sed omiffa processum vitiet, ipsoque jure nullum reddat C. 1. X. de lit. contest.

§. XIII.

In Pro - & Reprobando, quod vel testibus, vel documentis, vel juramenti delationibus, vel præsumtionibus vel aliter fieri solet, judex officia partis ejusve Advocati varie supplet. Sic Articulos notorie impertinentes & superfluos parte non petente rejicit. Alciat. L. VI. Resp. 38. n. 7. Gail. L. 1. Obs. 81. Idem quoque in interrogatoriis incongruis, criminosis & captiosis obtinet. Id. Obs. 97. L. 1. Nec non in testibus superfluis productis. Hil- trop. Proc. p. 3. tit. 9. rubr. sè cap. 6. n. 37. Testimo-  
nia eorum scripta rejicit, nec in sententionando,  
par-

parte licet nihil regerente, ad ista reflectit, quamvis ea parte non contradicente attendere possit. Grav. ad Gail. 1. *Obs.* 100. n. 8. Parteque etiam si non implorante testem super causa principali productum super connexis examinat. Ruland. *de Commissar.* L. 2. C. 14. n. 2. 11. 15. 16. Infamem ex officio rejicit. Farniac. *de testib.* qu. 56. n. 34. Imo Exceptionem in habilitatis non oppositam filio, si patrem pro se, vel patri, si filium pro se testem produxerint, utrosque à testimonio plane repellendo, supplet *arg.* L. 6. C. *de test.* cujus tamen legis varias dari exceptiones traditur à Brunnem. *ad d. l.* dissent. Menoch. *de præsumt.* L. 2. *præs.* 46. n. 4. quem sequitur Mevius p. 7. *dec.* 75. n. 1. Id quod de omnibus cæteris exceptionibus, quas pars nescit, judex tamen novit, admittimus. Brunnem. *ad L.* 1. n. 7. *ff. de magistrat. conveniend.* Notanter autem addidi: *quas pars nescit*; si enim pars inhabilitatem sciat, nihil tamen contra testem excipiat, ipsum tacite approbasse, & in eum consensisse videtur; hinc utile: ipsos producere & ad jurandum admittere: salvis Exceptionibus tam contra personas, quam dicta; quamvis Exceptiones contra dicta judex à parte omittas omnino sententiam concipiendo supplere debeat. Confer. elegantiss. hanc materiam tractantem Dn. Zaunschliffer. *de off. Jud. suppletor.* P. 2. *Concl.* 12.

## §. XIV.

An vero, si post didicita, ut Practici loqui a-  
 mant, testimonia, super iisdem articulis novi te-  
 stes ab una parte producti fuerint, altera vero ta-  
 ceat, an iudex ex officio illos repellere teneatur?  
 Negant Menoch. 2. *pres.* 46. n. 27. Gail 1. *Off.* 101. n.  
 8. Affirmat vero Rosbach. *Proc.* tit. 60. n. n. Hu-  
 jus fundamentum est, quod post didicita Attesta-  
 ta novos non liceat producere testes, non ob fa-  
 vorem partium, sed publicum, ne fraudes & fal-  
 sitates committantur, sit constitutum. Huic au-  
 tem favori publico nec pars nec iudex renunciare  
 valeat *arg. L. pen. C. de Pact.* Sed Gailii Negativa  
 eo mihi videtur juri & rationi convenientior, quò  
 certius: in partium principaliter, in specie verò  
 producti gratiam prohibitam esse, publicato Ro-  
 tulo, novorum testium productionem; favorem  
 autem publicum saltem minus principaliter hic  
 versari. Si jam productus adversæ parti novos  
 testes denuo producenti non contradicat, favori  
 pro se introducto renunciassè videtur; atque sic  
 iudex, utut possit, non tamen tenetur illos rejice-  
 re, consequenter vices Advocati vel partis sup-  
 plere. Alios & varios casus, quibus publicatis  
 testimoniis novi testes admittuntur, recensentur  
 passim apud Processuistas.

## §. XV.

In probatione per Instrumenta Iudex multo  
 C scèpius

ſœpius urget, quæ vices partis vel Advocati eſſent. Sic petitam Inſtrumentorum recognitionem ſuperfluam ex officio rejicit, *Mev. p. 4. dec. 64.* contra eorundem recognitionem neceſſariam, parte producente non petente, injungit. *Carpz. Proc. tit. 14. art. 2. n. 12. & ſeqq.* hâc pronunciandi formulâ: *Wurde Beſt. d. e. ad acta gegebenen Documenta A. B. & C. gebührend / inmaſſen Ihm zur thun gebühret / recognosciren / ſo erget in der Sache fernur was recht iſt.*

§. XVI.

In juramenti delatione ita judex Interſeſſe partis obſervat, ut non ſolum formulam juramenti ab omnibus ſupervacuis clauſulis, parte nihil contradicente, purget, ſed etiam juramentum, ac- cuſatione contumacia non præcedente, pro de- ſerto declaret, in caſu, quo quis intra terminum ordinis ad jurandum ſe non offerat. *Carpzov. P. 2. c. 16. deſ. 1. Mev. P. 7. Dec. 36. Stryk. in Introd. ad Pr. Cap. 17. §. 6. & quis neſcit: Judicem parte etiam non petente, juramentum neceſſarium, id- que vel ſuppletorium vel purgatorium deferre debere? Struv. Ex. 17. 1b. 40. Hahn. ad Weſen- bec. tit. de Jurejur. n. 20. Imo, ſicut illa, quæ pro- bata non relevant, ad probandum non admit- tuntur; Ita in genere judex omnem malam ac- contra formam proceſſus proſcriptam probationem*

ex

ex officio rejicit. *Mev. P. 1. dec. 402. P. 3. dec. 103. n. 8. P. 7. dec. 125.*

§. XVII.

Vices Advocati vel partium supplet Judex, circa Causæ Conclusionem. Hæc enim, sicut nunquam judici, sed partibus os claudit, *Mev. P. 3. Dec. 185.* Ita, si partes earumve Advocati Acta non sufficienter instruxerunt, ut judici adhuc dubia quædam resideant, hic ex officio conclusionem rescindit, partibusve injungit: ut hoc vel illud clarius deducant, actisve apponant; Hinc recte decidit *Mev. P. 3. Dec. 185.* Judicem etiam post Conclusionem in causâ, documentorum, quorum in actis mentio facta, à judice exhibitionem mandari posse, ubi ea necessaria, ad causæ vel dilucidationem vel decisionem æstimat; in quo casu ita pronunciat: *Und wird die von denen Partheyen beschohene Conclusio in causâ hiermit ex officio wiederum aufgehoben / und denen Beklagten auferleget / die fol. Act. angeführte Documenta zu produciren / und solche in Originali oder beglaubter Abschrift ad acta zu bringen / &c.* Multo vero magis Judex poterit actoris vel Rei ineptam & præmaturam submissionem, quæ ut plurimum vel ex nimia negligentia vel ignorantia Advocatorum contingit, ex officio rejicere, eosve ad plenioram causæ deductionem remittere. *Mev. P. 4. Dec. 120.*

§. XVIII.

Sed quid si in causâ sit conclusum, una verò pars nihilominus novas probationes afferat, nec tamen altera contradicat, an Judex pro Interesse partis ex officio istas rejicere debeat? quari possit; Nos, ne partibus in infinitum procedendi indulgeatur licentia, causaque in se probabilis sit, affirmamus quæstionem cum Zaunschliffero in alleg. *tr. P. 2. Concl. 13. §. 2.* Ubi allegat dissentientes Mynsing. *VI. Obs. 56. n. 10.* Ummium *Disp. 19. n. 13. Vers. ut & Instrum.*

§. XIX.

Circa Transmissionem Actorum Judex vices Advocati vel partis supplet, in casu, quo ipsis licet urgentibus, illam denegat, si decisio causæ magis ex consuetudine speciali, quam jure scripto dependet. Sicut enim hujus consuetudinis notitiam meliorem habet ipsum judicium, quam Jcti extranei, quibus specialia ejusmodi non æquè cognita. *Mev. ad Jus Lubecens. L. 5. tit. 9. art. 2. in addit. & P. 3. d. 40. & 5. Dec. 38.* Ita, cum tali casu causa tantum proteletur, Judici verò omnes ambages amputandæ, transmissionibus non necessariis neutiquam indulgeat. *Coler. de Exec. P. 1. c. 3. n. 56. in med.* Hoc quoque non omittendum est, ut, si partes non observent Cautelam, quam tradit B. Dn. Stryk. in *Introd. ad Pr. Cap. 21. §. 9.* petendo scilicet, ut Judex literis

teris requisitorialibus ad Collegia transmissis inferat Clausulam: ut si illud Collegium ab una alterave parte in hâc causâ jam tum fuerit consultum, acta remittant; Judex ex officio ejusmodi clausulam adjiciat, sicque vices partis vel Advocati suppleat.

§. XX.

Quomodo porro officium Judicis suppletorium in remediis suspensivis, nec non Artentatis se se latissime exerat, examinare quidem possem; sed temporis ratio, intra quam me coarctavi, hoc non permittit, ideoque sufficiat, in transitu saltem aliqua exempla attulisse, quibus appareat: Judicem partim *posse*, partim *debere* partis vices supplere in omnibus, quæ ad substantialia processus pertinent. Nunc brevissimis, quomodo ea, quæ *in Jure & facto* partes eorumve Advocati neglexerunt, supplere possit & debeat, ero demonstraturus.

§. XXI.

Ex *Jure* omissa itaque Judicem supplere debere, est *ex L. un. C. ut quæ def. &c. ibi: quod sciat legibus convenire*, res apertissima, & exemplis hoc illustrare, esset aquam puteo infundere. Unum tamen alterumve saltem addam: Sic, si Advocatus falsam & à scopo alienam in causâ adduxit legem, veriorum substituere. Sichard *ad Arb. Qui semel C. quomodo & quando Judex &c. n. 30.* nec non

non, si videt: Ex illo Remedio, quod intentatur, parti non esse consultum, at ex alio, quod intenditur vel intendi posset, idem impetrandum, ne lites multiplicet, statim hujus rationem habere debet. *Mev. p. 3. dec. 177. & 207.* ibi elegans exemplum invenies. Nomine Juris autem & statuta complector, ut & Jus non scriptum vel Consuetudinem, nam & hanc omissam iudex supplere debet, idque sive sit notoria vel non, modo illa iudici aliàs bene sit cognita. Dissentiunt Gail. *L. 2. O. 31. n. 17.* Mynsinger. *cent. 6. Obs. 3. n. 3.* putantes: consuetudinem notoriam licet, non probari, attamen allegari debere, aliàs iudicem illis rationem habere neutiquam teneri.

§. XXII.

Ad *res facti* à partibus omissas, vel non propositas, suppleudas an iudex teneatur? triplex Doctorum reperitur opinio. Aliqui negant quæstionem, ut Dn Struv. *Ex. 46 §. 12.* qui secutus Castrensem *ad L. 1. n. 4. C. ut que def. advoc. part.* Umm. cum alleg. *disp. ad Proc. VIII. n. 55.* Zanger. *de Except. p. 3. cap. 26. n. 11.* Affirmativam defendunt Perez. *ad c. 1. un.* Tusch. *Lit. I. Concl. 397. n. 2. & seqq.* Trentler. *Vol. 2. Disp. 26. th. 7. lit. c.* ibique Hunn & Bachov. Ziegler. in *Dicast. Concl. 34. n. 9. & 10.* Schnob *ad ff. disp. 22. th. 10.* *Mev. P. 3. dec. 371. & p. 7. dec. 155.* Brunnem. *ad c. 1. un. n. 7.* Mediam viam ingrediendi placuit Decio allegato à Tusch. *d. concl. 397. n. 7.* putant iudicem facta ejusmodi, v. g. Exceptiones posse quidem



quidem suplere, sed non *teneri*. In hoc itaque Doctorum dissensu sic puto: Judicem non posse solum, sed & teneri ejusmodi facta non proposita supplere, si modo ea vel ex actione proposita, productis Documentis, confessione partis, aut alias ex actis per indirectum saltem appareant, atque sic Judici qua tali de illis eorumque veritate constet.

§. XXIII.

Ex actis itaque 1) de facto Judici constare debet, si supplendi facultate gaudere velit. Nam si Judex aliquid addat, fingat, atque præsupponat, taliter factum fuisse, de quo tamen additamento nihil ex actis appareat, non laudabile, sed punibile imperitur officium. 2) *Judici ut tali* de facto constare debet. Si enim Judici aliunde, quam ex actis & actitatis de Exceptionibus v. g. constet, eas regulariter; nisi persona, pro qua supplet, sit pupillus, pauper vel Monasterium, de quibus Engel. *de privileg. Monast. priv. I. p. 222* non supplet.

§. XXIV.

Hæcque ratione supplebit Judex omnes ferè Exceptiones Reis competentes, sed omittas. e. g. Præscriptionis *Mev. P. 7. dec. 182. § p. 8. deo. 419 n. 4.* Compensationis, modo de utroque debito exactis constet. *Hiltrop part. 1. t. 5. n. 14.* Scti Macedoniani, modo ex actis constet: mutuatarium esse filiumfamilias Porro Scti Vellejani. Rei Judicatæ. Vid. *Brunnem. ad. L. 1 n. o.* Quod si tamen nullo modo ex actis constat, rem antea judicatâ esse, tunc etiamsi aliunde  
rei

rei iudicatæ habeat notitiam, eam exceptionem supplere non posse, puto cum Brunnemanno *d.l.* & Mevio *p.8. dec.227. n.5.* quamvis dissentiat Dn.Zaun-  
schliffer. *sæpe cit. tr. P. 2. Concl. 11. §. 13.*

§. XXV.

*Omnes ferè exceptiones*, notanter dixi in præcedente s<sup>pho</sup>. Dantur enim nonnullæ exceptiones, quæ etiamsi ex actis aliqualiter pateant, si tamen à parte formaliter non sint oppositæ, tamen à Jûdice suppleri non possunt, quales sunt omnes ad vindictam tendentes. Elegantissimum Zangerus de Except. *p.3. cap. 16 n.13.* ex Schradero. *p.9. tr. feud. c. 7. n.18.* nobis suppeditat exemplum, in Vasallo, feudum à Domino directo petente, etiamsi enim, ipsum exceptione felonix repelli posse, ex actis constet; si tamen eam Reus formaliter non opposuit, Judex ex actis illam supplere non valet: Ratio est, quod Dominus ob feloniam commissam de feudo revocando consensum declarare debeat, quod, cum non fecit, injuriam remisisse censetur. *Valtej. de feud. L. 1. c. 11. n. 45. p. 77.*

§. XXVI.

Utut autem latissimus materiæ hujus elegantissimæ pateat campus, temporis tamen vix permittit lapsus, uti mpræsentiarum sim laxior. Hinc benevolam Lectorem ad celeberrimum Casparum Zieglerum, magnum Zaunschlifferum & alios hancce materiam egregie tractantes remitto, atque sic Dissertationis meæ rivulos claud.

S. D. G.

Cofwks, Diss., 1711/12

ULB Halle

3

004 171 527



SL



vorindam. He. quoniam. 1. 1.





9.  
QVOD DEUS BENE PERTAT! 1712, 9 30 24  
DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA.

DE  
**JUDICE VICES PARTIUM ET ADVOCATI SUPLENTE,**

QUAM  
FAVENTE SACRO SANCTA TRINITATE  
RECTORE ERFFORDIENSIS ACADEMIÆ  
MAGNIFICENTISSIMO,  
REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,  
DOMINO

**PHILIPPO WILHELMO,**  
S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSARÆÆ ATQUE REGIÆ CATHOLICÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO, NEC NON METROPOLITANARUM ECCLESiarUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, ET RESPECTIVE SUPREMO CHORIEPISCOPO; EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIQUE ERFFURTENSIS  
PRO - PRINCIPE,

*INDULTU CELEBERRIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ,*  
SUB PRÆSIDIO

*VIRI MAGNIFICI, PRÆNOBILIS AC CONSULTISSIMI*  
**DN. JOH. PHILIPP. Streit / JCTI,**  
EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNT. CONSILIARII, JURIDICÆ FACULTATIS ASSESSOR. PRIMAR AC p.t. DECANI, NEC NON UNIVERSITATIS  
PRO - RECTORIS MAGNIFICI,

**PRO LICENTIA**

*SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES AC PRIVILEGIA*

*RITE CAPESSENDI*  
PUBLICÆ ERUDITORUM CENSURÆ

*D. XVI. JULII, MDCCXII.*  
HORIS LOCOQUE CONSUETO

SUBMITTET

**GUSTAVUS CLEMEN, SCHMALKALDENS.**

IBID. ADVOCAT. ORDINAR.

Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.